



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 72. Sessio V. Mediolani celebrata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. de solvebantur, simulque ab omnibus cen-
A. C. 1511. furis a Papa in eos latis, quas omnino
 nullas declararunt, liberabantur. Dein
 aliud adhuc decretum condebatur ad-
 versus illos, qui membrorum Synoda-
 lium beneficia vel obtinerent, vel acce-
 ptarent cunctique facta hujus Decreti
 promulgatione, omnibus beneficiis, com-
 mendis, atque dignitatibus, etiamsi eas
 ab ipso Pontifice impetrassent, spoliaban-
 tur, ac ad eas possidendas inepti decla-
 rabantur, sancitumque, cunctis hisce
 decretis plenam atque integram fidem
 esse adhibendam; cum vero quampluri-
 mi eorum, qui Mediolanum venerant,
 censuris a summo Pontifice in eos ful-
 minatis gravi terrore percellerentur, eam-
 que ob causam ingens eorum numerus,
 quos Præsules sibi familiares habebant,
 sub prætextu *monitorii* (ut vocant) a Pa-
 pa editi urbe aufugerent, ideo Synodus
 illis sine Dominorum suorum venia rece-
 dere inhibuit. His decretis omnium con-
 sensu approbatis, de Sessione V. actum est.

§. LXXII.

Sessio V. Mediolani celebrata.

*In act. Conc.
 Pis. II. p. 22.*

Habita est Sessio V. feria quarta die un-
 decima Februarii, ubi Cardinalis
 S. Crucis Synodi Præsides sacris operatus
 est, recitatisque litanis, ac absoluta sup-
 plica-

plicatione Ferrerius Abbas Evangelium Sæcul. XVI.
 ex cap. 18. S. Matthæi prælegit, *si pecca-* A.C. 1512.
verit in te frater tuus corripe eum, quem
 Evangelii textum Præses explanans, il-
 lius lectionem impense commendabat,
 fusius in correctionis fraternæ præcepta
 excurrens. Sermonem finito innovatum
 est Constantiensis Synodi decretum ad-
 versus illos, qui Synodum accedentibus
 injuriam inferrent, aut inde recederent,
 statuta in ejusmodi criminum auctores
 excommunicationis majoris pœna: Quo-
 niam vero, inquit Synodus, illos, quos
 spirituales censuræ, & divinus timor a ma-
 lo non prohibent, temporalium nonnunquam
 pœnarum metus coercet, eapropter ipsa Sy-
 nodus privat ejusmodi transgressores omni-
 bus honoribus, dignitatibus, officiis, beneficiis,
 indultis ac privilegiis.

Postea statutum fuit, ut Synodus de ce-
 tero in patentibus literis utatur pendente bul-
 la plumbea, quæ in altero Spiritus Sancti
 effigiem in columbæ specie, verbis in circuitu
 existentibus: Spiritus Paracletus docebit
 vos omnem veritatem, in altero vero Scul-
 pturæ latere hæc verba: Sacrosancta ge-
 neralis Synodus Pisana continebit. His
 ita decretis Synodus pro Civitate Bono-
 niensi Legatum nominavit Cardinalem
 Sanseverinum, eidemque die undecima
 Februarii Legationis suæ literas expedi-
 ri jussit.

§. LXXIII.

U

Hist. Eccles. Tom. XXXII.